DISQUISITIO

PNEUMATOLOGICA,

INAUGURALIS,

DE

VOLUNTATIS LEGIBUS.

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PREVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

EXAMINI SUBJECTAM SUSTINUIT,

EDVARDUS H. WORRELL,

DE OPPIDO BALTIMORE DICTO,

Socius Societatis Medicæ Baltimori institutæ honorarius et eorum qui societatem constituerunt.

"Qu'y a-t-il de plus fort? La nècessitè, parce qu' elle triomphe de tout."
Thales par Bart. a Diog.

"Solvite, Mortales, animos, curasque levate
Totque supervacuis vitam depleti querelis,
Fata regunt orbem, certa stant omnia lege."....*Manil.*

Hæc disquisitio rejecta fuit Facultate Medicinæ.

BALTIMORIENSI:
EXCUDITUR RALPH W. POMEROY, & CO.
No. 12, LIGHT STREET.
1815.

ELIZABETHÆ WORRELL,*

matri dilectissimæ qua cordi nihil sit carius,
quæ piè et sedulò ætatulæ meæ incogitabili
incubuit;
atque recte agendi omnia incitamenta
procudit;
grati monumentum animi
ejusque, qui filium decet, amoris,
hasce eorum primitias
consecrat
amantissimus devinctissimusque
filius
EDVARDUS H. WORRELL.
Quorum benefactorum
si immemor sit, vel ullum locum
grates persolvendi dignas prætermittat,

"——Mihi vel tellus optem priùs ima dehiscat;
Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras,
Pallentes umbras Erebi, noctemque profundam!"

* *Pater, me peradolescente, mortalitatem explevit.*

SISTE, SISTE, O LECTOR!

MEMORIÆ JACOBI COCKE, M. D.

PRIORIS ARTIS INCIDENDI ACADEMIÆ REGIONIS MARIÆ

PROFESSORIS, IMMORANDUM EST;

qui aspectu ingenuo, pectore animoso, indole
apprimè benigna; suaviloquentia,
vel comitate sermonis valde jucunda,
dulcedine morum inimitabili, atque judicio
ſelicissimo quod insigni in rebus medicis sagacitate
peritiaque maximè claruit;
ingenioque feraci, faceto, versatile,
in quo fuit nemini,
ac industria, doctrina, et scientia,
haud multis secundus:
exemplar virtutis raræ splendens emicuit.
At—desiste misericors!
Estne dicendum, quod hujus seculi vernans spes,
intempestivè flatu febris æstuante fuit ustus?
Imo—Parcæ iniquæ!
Defloruit,
et 25th Octobris, A. D. 1813, ex horto vitæ
algida manu lethi horrifici,
extirpatus fuit.

Et funebris cupressus, in ejus loco, pandit
suos ramos lugubres atque umbrosos, sub quibus
roscida rosa pura, frigida, et pallida
quasi Desperanti consita,
circumfundit ejus nitorem solitarium.
Animam, uxore filium enixura deplorante, efflavit;
et in agro Cantiæ (anglice Kent,) Mariæ regionis
ad orientem spectante, sepultus est.
Bonis et dignis mortem ejus
"Qui primus virtutis honos est"
semper deplorandum; et
lachrymæ Scientiæ Medicæ oculos præsringent,

"In freta dum fluvii current, dum montibus umbræ
Lustrabunt convexa, polus dum sidera pascet."

JOHANNI B. DAVIDGE, A. M. M. D.

ARTIS INCIDENDI IN ACADEMIA TERRÆ MARIANÆ

Quam,

Medicis J. Cooke, et J. Shaw, simul adjuvantibus,
fundavit, professori spectatissimo,
hocce opusculum, non quod
eruditioni suo multiplici, ingenii acumini, aut
judicio acri,
quæ "αξια πεπλȣ" sunt,
possit arridere; sed ut,
de ejus morum decore, et elegantia, et dignitate
sermonisque suavitate, animique benignitate
qui sibi omnes *ingenuos* semper obstringit,
præsertimque *strenue efficace* in omnes artium bonarum cultores benevolentia, et magnis
benefactis in eum, præceptore et amico suo dignissimo carissimoque orbatum, collatis
mentem exprometeret;
atque miræ et penè divinæ sagacitatis solertiæque,
quibus potentissimos pervicacissimosque
morbos vexilla submittere cogit,
admirationem exprimeret:
Sacrāre multum voluit
addictus alumnus

AUCTOR.

PRÆLEGENDA.

SITNE apud quenquam dubitatum, quin maxima diligentia in animo exquirendo, operæ curæque poneretur? Estne aliquid, per Deos, quod naturam excelsi animi tam strictim attingit, quam animi studium? Estne quinetiam aliquid humanæ perfectionem majorem quod potest impertire naturæ eamque tam exaltare, quam ex fonte existendi ipso haurire? O Dii immortales! si ita contingeret ut mihi, ex hoc fonte, pleno ore, bibendi facultatem daretis, libere et andacter cantarem "Sublimi feriam sidera vertice."

Studia metaphysica cogitato miram accurationem et concinnitatem tribuunt, quæ animant roborantque actum Mens haud unquam, his studiis, est dubia, sed ejus determinationi confidit sine cunctatione; quia, metaphysica vera, ut probè asseruit optimus Reid, sunt necessaria. Et haud ullum latet, quòd multum refert nostrâ, non solum prœsenti, sed in futuro, semper agere plena fide; nam commonefacti sumus, "ἕκασος ἐν τῳ ἰδίῳ νοῒ πληξοφορείσθω. Οἶδα κ̀ πέπεισμαι ἐν Κυξίῳ Ἰησȣ̃, ὅτι οὐδέν κοινόν δῒ ἑαυτȣ̃ εἰ μὴ τῳ λογιζομενῳ τὶ κοινόν εἶναι, ἐκείνῳ κοινόν." ΕΠΙΣΤ. ΠΑΥΛ. ΠΡΟΣ ΡΩΜ. Quapropter, philosophus, hoc studio, (quod momenti est maximi)

"Metus omnes et inexorabile fatum
Subjecit pedibus, strepitumque Acharontis avari."

Atque, Hume philosophus sagax, de animo disserens, inquit, "This is the centre and capital of the sciences,

which being once masters of, we may extend our conquests every where." Nunc, late patet, nihil esse optabilius sapientiâ: nihil præstantius: nihil homini melius: nihil homine dignius: ideirco libenter fatebitur, laborem, ut bene perspectæ et intellectæ sint animi facultates, improbum nos adhibere oportet.

Hoc menti infixo, fert animus hujus academiæ legibus attemperaturum, quibus sancitur, unicuique sibi gradum artisque medicæ honores afflanti, inaugurale specimen quoddam in apricum proferendum esse, de *voluntatis actione* disserere. Ex variis animi facultatibus, nulla valet tanti, quanti voluntas. Habeo me bene persuasum, philosophiæ limites propriæ haud transiliundos in appellando eam harum omnium principium motus. Quapropter suis operationibus, me judice, maxima impenderetur attentio; et in iis tractandis mihi propositum erit arguere voluntatem necessariè omnibus temporibus agi nan agere.

Nonnulli forsitan mihi vertant ludibrio, et dicant, quòd insano me juvat indulgere labori; sed "noluerim credere (ut inquit Gregorius) naturam tam arcto limite ingenium humanum compescuisse, ut ad has quoque regiones viam sibi nunquam patefaciat." Est mihi persuasissimum, quòd multi auricomos fructus decerpserunt ex arbore opacâ, quibus potuêre in vallibus metaphysicorum obscuris operta subire. Et nobis dixit Sibylla,

"Primo avulso, non deficit alter
Aureus; et simili frondescit virga metallo."

Verum enimvero, nemini latet me tractaturum "Periculosæ plenum opus aleæ." Quum ad inusitatas vias hujus scopulosæ difficilisque plagæ rerum naturæ indagandas, meam operam dederim, mihi bene innotuit incessurum,

"per ignes
Suppositos cineri doloso."

Lampas enim Minervæ ex umbra cava alarum prejudicii coracini nigrarum adhuc dilucidè parum emicuit. Quinetiam pelrisque sententia insedit, ac fama quidem increbuit, lucem e luminariis splendentibus Edwards, Hartley, Hume, Priestly, Kaimes, Crombie, Cooper, emicantem tenebras quæ rigioni huic incubuerunt nondum arcere potuisse. Idcirco, si res haud aliter se habet, necesse erit viam in tenebris, ex magna parte, digitis prætentare. Filio enervi Hebes, haud dissimulandum est, hoc opus, hunc laborem, esse. Necnon vereor, siqua ad numen pertinent lustrare nos quidem oportuerit, ne affirmemus aliquid temerè de naturâ Deorum. Quod omen Jupiter omnipotens avertat!

Difficultatibus, autem, hujus incepti immorari, nobis adipiscendi multum commodi potestatem haud dabit; fas est igitur eas silentio præterire.

Sit mihi vitio, quòd non usus sum verbis sermoni proprioribus; quòd interdum videor in sublime ferri quasi in Pægason alatum ad montem Parnassum, dum oportet me gradi lento metatoque passu perinde atque philosophus adambulavit promontorium Sunii inter silvas Platonicas ad sobrium quœrendum verum.

Intexui, profectò, huic opusculo formas loquendi poeticas, et plurimas partes ex aliis scriptoribus prolatas, ut incomptæ pagellæ jubar aureæ latinitatis irradient, et "ore rotundo" legantur.

Mihi in animo est hanc disceptationem incepturo, facere mentionem, me curam habuisse poetæ consilio,

"Ludere qui nescit campestribus abstinet armis
Ne spissæ risum tollant impunè coronæ." Hoc duxit in meipsum inquirere, et oculum facultatibus meis adji-

cere; proinde nunc temporis, viribus rite perpensis, haud nescius sum

"quid ferre recusent

Quid valeant humeri." Quocirca parum abfuit quin impulsus essem pauca blanda et mollia dicere ut virgam critici ab iis averterem, sed mihi, quæ inter omnes constant, in mentem venerunt, scilicet, quòd oculi bubonum caligant multa luce, et aquila nusquam capit muscas.

DISQUISITIO, &c.

PARS PRIMA.

Hominis historia moralis pariter ac physica manifestat

VOLUNTATEM NON AGERE, SED AGI.

Δαιμονίη, μή μοί τι λίην ἀκαχίζεο θυμῷ·
Οὐ γάρ τίς μ' ὑπερ ἄισαν ἀνηρ ἄϊδι προϊάψει.
Μοῖραν δ' ὅυτινά φημι πεφυγμένον ἔμμεναι ἀνδρῶν,
Ου' κακον, ὐδὲ μὲν εσθλον, επην ταπρῶτα γένηται.

ΙΛΙΑΔ. Ζ.

INITO, proprio Marte, Veneris prælio, jaculisque exitu felici immissis, uterus est deditus, homini, cum solertis naturæ mysticis modis et arcanis "quorum nox conscia sola est," irrepserit, occupat[redacted]. Aliquot dehinc diebus circiter viginti exactis, è tenebris, uteri fundo inhærens, primò erumpit, tanquam planta quæ ex molli terræ foventis sinu caput tenerum effert; atque agens ejus vasa in *funis* formam coacta, prout radices, in solutam *membranam deciduam,* imbibit per ea cavis bono nutrimento plenis inhiantia, laticem qui aptissimus est ad corpus angendum. Haud multo post, hic valdè exiguus homo, (sed demum vix, aut ne vix quidem licet nunc ita vocari,) turgescit, ejus moles rudis et indigesta solvitur, variæ partes se ordine pulcherrimo disponunt; tunc pullulant membra, efflorescunt labia, et eximiæ singularisque humanæ

formæ æqualitas incipit evolvi. Hoc statu, priùsquam e latebris suis prorepit, a plantis, quantum nobis constat, haud multum differt.

Postquam novem menses compleverit, in lucem prodit. Tunc temporis, sensus aperiuntur, animus elucescit, et insignis oris venustas renidescit. Eodem tempore, serviendum est necessitati multorum gravis operis munerum, scilicet, vitalium, naturalium, et animalium fungendorum quorum omnia sunt maximè complicata, et peritissimi solertisque philosophi aciem fugiunt. In auras proditus, extemplò respiratione accuratissime fungitur, et paulo post, allectante natura, copiosa ubera blandæ matris et foventis rite et plene ducit, ac pretiosissimas dapes demerget in alvum; quibus functionibus fere innumeri inserviunt musculi, certa vi, et ordine, et tempore, utendi. Sed eorum modus operandi, aut ratio qua agunt, philosophis maxima scientia imbutos et perspicaciores multa experientia factos, omnino latet; exinde sequitur, naturam agere, aut hominem, hoc statu, sine ejus arbitrio, dirigi mechanicis (quod verbum philosophis multum arridet) principiis. Ubi ad ætatem maturiorem progreditur, variæ corporis partes pleniùs evolvuntur, et alia actionis principia, scilicet, animalia, ut vocantur, quibus in servitudinem cæcarum cupidinum pellicitur, oriuntur. In hæc carptim perstringendo, sat erit memorare, quòd, ex tempore quo vitam in utero degere desistit, donec ratio dilucescat, discrimen maxime tenue eum inter et belluas interest.

Provectiore ætate, ut gaudium cælestissimum deliba, ret, et consentaneam ejus excellentiæ ageret vitam, almæ providentiâ naturæ ratio oritur splendida, et menti effulget. a Omnia statim illustrantur, videt ultra tenebricosum instinctuum orbem, et prospicit longè bonum futurum. Hæc naturæ consummatio eum superbiâ inflat. Tumet; et honores ambiens, novis rebus studet; sibi libertatem

limitibus non circumscriptam assumit; summi Numinis jugum suæ cervici excutit, et pedibus majestatem obterit; ac denique

> "Cœlum ipsum *petit is* stultitia: neque
> Per ejus *patitur* scelus
> Iracunda Jovem ponere fulmina."

Sed homini rerum studioso est bene perspicuum, nihil ineptius vel absurdius esse, quam res a natura copulatas divellere; "qui fons (inquit Cicero) est fraudium, maleficiorum, scelerum omnium:" et gravi contemplatione probè edocto sicut experientia Vulcanus, est semper in ore,

> "Εἴπερ γάρ κ' ἐθέλησιν Ὀλύμπιος ἀστεροπητής,
> Ἐξ ἑδέων στυφελίξαι· ὁ γὰρ πολὺ φέρτατός ἐστιν."

II. Nobis nunc latissimè patet, hominem primis ætatis gradibus priùsquam ei ratio constiterit, meram esse machinam, omnibus ejus actionibus necessarió ex conditione prœcedente orientibus. Sed propè est, ut actuosæ potentiæ tantum evidentiæ, hoc tempore, quantum postquam rationem assequutus fuerit, eluceat; atque edocti sumus sagacissimo et optimo Reid, actuosam potentiam nulla re nisi voluntate posse consistere; idcirco, omnes ejus actiones mechanicæ voluntate nituntur. Exinde oritur, quandoquidem voluntas tam diu viribus adventitiis se habet offirmatam, eam, antequam ratio apparet, in actionem lege per naturam sancita et conditionibus existentibus exercita, semper esse ducendam. Atque rationem irridere foretne, dicere hanc legem nunquam esse rescissam? minimè, certò. Potestne, enim, quisquam, deprompt-

tis veris et minime dubiis factis, probare leges functionis unius, alia stabilita, abrogatas esse? Minimè, nec ne sit controversia verendum, respondeo.

Ea foret mutatio major ulla metamorphosi qua lascivit Ovidius.

Quantum autem ad me, concipere quidem non opis est meæ, quomodo lux rationis quæ mentem illuminat, hoc voluntatis attributum (vel lex, ut supra nuncupatur) semel luscis quidem tam aspectabile, potest expungere; modum vero quo efficere hoc effectum videtur, facile intelligo. Ad œtatem, scilicet, rationalem provecti, competit nobis potestas actionum animi perpendendarum, et certiores facti conscientiâ, (cujum est solum eas exponere, omnibus earum causis prorsus prœtermissis,) motum quibusdam, quodam tempore, facultatibus inesse, cogimur, eadem lege qua vocem Indi tribuêre folio quod superscriptum Smith, in carcerem rege Opechankenow conjectus, suis commilitibus misit, concludere, animum in operationibus viribus suis solis inniti; scilicet, quia ritu naturæ omnem effectum cuidam causæ semper referimus, ac prout discreta nulla rei de qua nunc agitur causa ante oculos versatur, inducimur cum causam tum effectum ipsi quœ agit facultati referre.

At si physiologi qui fere sunt haud crassa Minervâ, ullum casum longa experientiâ compertum habeant, quo meam sententiam convellant, tamen oportet nos in mentem revocare, quod in argumentum valet solum comparatione remotissima. Sed nobis sunt in conspectu plurima facta quæ demonstrant, hanc voluntatis legem, per quam voluntas statibus exercenda prœsentibus, non unquam esse rescissam.

An expedit, ut meminerim mirabundi effectus *nitrosi oxydi gas*? Omnibus innotuit, quod, in pulmones receptum, mirabilia statim in medium affert. Ipsi amici, *absque*

Spiritu, exultantes lasciviunt exiliuntque, sicut hædus insultans. Imò hi gravissimi Tremuli ac permodesti non solùm gestiunt, sed quidem saltant, ac miserabile dictu! sanguineam volventes aciem, efferi per medios ruunt unguibus ora fædantes et pectora pugnis.

Nunc est verum, totum tempus, esse compotes mentis, tametsi non *sui*, et objurgationem pudoris sentire; sed calens sensus vehitur prorâ, fatumque ad gubernaculum sedet.

Narrabo, hoc loco, alium, quod memoriâ teneo, factum firma auctoritate comprobatum. Præfectus et ejus milites, exercitationibus expletis, domum proficiscebantur, quum occurrerunt homini naso penè susquipedali. Quo viso, torpor gravis alligavit militum artus, et eorum pedes modò tam veloces hæseruut quasi pigris radicibus. Præfectus impatiens iræ torvo respexit vultu exprobraturus, atqui nasum sentit mirabilem. Obstupuit visu, stetit immobilis, et "vox faucibus hæsit." Brevi, post, tempore, homo traxit suum nasum e conspectu, et agmen erubescens propter inconstantiam iter iteraverunt.

Visus hujus nasi compressit agminis gressum similiter ac lacertus Coclitis stetit exercitum Porsennæ. Necne, igitur, eadem connectio morales causas inter et effectus, quæ in physicis, obtinet?

Hæc exempla sufficiant stabilire argumentum, voluntatem interdum conditionibus existentibus in actionem ductam esse. Porrò, omnes consentiunt, vehementiores præcordiorum perturbationes necessariè voluntatem propellere, aut hominem invite huc et illuc rapere. Si igitur nexus inter voluntatis actiones et incitamenta invalidiora, haud perspicibilis est, nonne concludendum, similem esse, quoad genus, ei qui obtinet eas inter et valentiora? Mola quæ magno decursu aquarum et aspectabili

versatur, haud plus necessariè sic se habet quam ea quæ auris tenuibus oculum fugientibus, circumagitur.

Sic liquet, nos physica hominis historiâ esse monitos et penè coactos credere, eandem manum, quæ nos per instinctus labirinthum perduxit, annulo Gygis induto, adhuc benignè dirigere.

III. Statu hominis, ante quam fit moralis, rite perpenso, colligeremus, a priori, voluntatem, postquam ætas qua decet suopte ingenio agere pervenerit, se adhuc habere statutam, necessariâ conditiones antecedentes inter et ejus actiones convenientiâ quâ hæc tam arctè illis annectitur, quam suæ causæ ullus, in re physica, effectus. Et nihil abest, ut nos habeamus in hac conclusione confirmatos quin historiæ hominis morali oculum adjicere.

Areopagitæ Athenis, maximi Romæ pontifices, et utilissimi, dignissimi, haudque nimium laudati Christi imitatores ubique gentium, una cum variis institutis saluti ac fortunis civium prospicientibus, satis superque comprobant, disciplinam in moribus formandis magni esse momenti.

Isthæc cum ita sint, dubitabitne quisquam, voluntatem impulsui exemplorum et præceptorum per necessitatem succumbere? Argumenta si postularet—sed nescio quis ratiocinandi modus convincat eum qui "in mari a quam quærit."

In phænominis naturalibus prompte et universe concessum est, quôd necessarius effectum inter et causam intercedit nexus propterea quod causâ allatâ semper oritur,

et sublata tollitur effectus. Phœnomina etiam huic regulæ quadrant moralia.

Effectus disciplinarum in eos quibus allatæ fuerunt jamjam animadversi sunt, et quod etiam tolluntur disciplinis sublatis, aut non adhibitis nunquam oriuntur, perperam negare erit quisquam? Quî fit, ut hodiernum servitium tyranno ibi loci ubi Leonidas procubuit, explicat frontem? Ratio in aprico est: Sparta non demigravit ex proprio cælo sed mutavit eam politiam quæ peperit amorem patriæ, libertatis, laudumque, et concitavit hominem indignabundis conatum quantulumcunque ad suum jus infringendum oculis permetiri, et huic caperata fronte occurrere. Atque mores Atheniensium, dignitate Areopagitarum Pericli obscurata, nonne deformes sunt facti et pravi? Maximè; ut colligamus ex hac prolatione e pereleganti "Voyage d'Anacharsis" eruditissimi Barthelemei "et comme s'il eu conjurè la ruine des mœurs, pour accelerer celle de la constitution, il reduisit l'Areopage au silence, en le depouillant de presque tous ses privileges." Et quam diù cogeremur deserta Columbiæ ad occidentem spectantia priùs scrutari, aut tuguria populorum, vulgo *Hottentots* dictorum, qui fædi, et fatui, et belluini sunt, rimari, quam deprehenderemus mores puros Areopagi, aut adhuc puriores, et probriores, integrioresque Montis Sinai!

His attente consideratis, sententia, quòd eadem connectio morales causas inter et effectus, quæ in physicis, obtinet, mihi multum arridet. Et quidem, quomodo, nisi fallaciâ quam supra exposui, homines actionum æquabilitatem humanarum possunt aspicere, et huic opinioni dicto citiús haud assentire, prorsus ignoro.

Inflexibilis Demosthenes, etsi prædicavit se non omnibus Macedoniæ gazis corruptelarum illecebris irretien-

dum, tamen uno Harpali pocillo æquè facile pellectus fuit, ac venere, et cænis, et plumis Sardanapalus luxuriosus.

Reverendus admodum Dodd, infandum dictu! caput suum pro nummi pauxillo periculis obtulit. Etsi ab ineunte ætate præceptis Christi se imbuerat, et almam ejus doctrinam diù prædicaverat, tamen auri fame in scelus pellectus fuit, quod collum ejus laqueum infame inseruit,

> "Quid non mortalia pectora cogis
> Auri sacra fames!"

Atque Cyrus Maximus, tametsi divinitùs opitulàtus, Ecbatanis succubuit, (paternis conciliis et suo commodo contravenientibus,) eximiæ Cassandanæ pulchritudini, et malesanæ similis Didoni cæco fuit carptus igne, curisque gravibus languuit.

Ex his exemplis apparet, quamvis obnitantur inexorabilis humanitas, religio Christi plurimùm valens, potens que Numen Divinum, (reverentiâ dicatur!) eosdem vel similes effectus, in moribus pariter ac physicis, ab iisdem vel similibus causis semper oriri: feliciter ergo et propriè valdè Euripides, ille sublimis naturæ interpres, plenus numine, dixit "ἡ πεπρωμενη ἄγει."

PARS SECUNDA.

CONFIRMATIO.

Te semper anteit sæva necessitas
Clavos trabales et cuneos manu
Gestans ahena; nec severus
Uncus abest, liquidumque plumbun.
Od. xxxv. lib. 1. *Horat.*

ORBEM exiluisse de chao Numinis nutu, ut mandata divinæ felicitatis exequerentur, nulli, nisi planè nil sapit, dubitandi facultas est.

Nonne liceat igitur autumare, mundum Creatoris morales animi affectiones depicturum esse? Siquidem propositum est, ut felicitati Numinis inserviret, procul dubio, ærumnis scateret, et undique profunderet miseriam, si Numen sit malevolum; et e contrario, si benevolum, mundus uniuscujusque cor quamplurimùm lætificaret animantibus radiis voluptatum et oblectationis.

His concessis, ad conclusionem nostrum Deum maximè esse benevolum statim pertrahimur: quamvis enim observationes Plinii morosas et experientiam infelicis Abyssiniæ principis trestem in memoriâ habemus, nihilominus æquus naturæ intuitus arguet quod vita plus mellis quam aloes habet. Si postulanda sunt argumenta, sat erit memorare, opinionem, vitam plus voluptatis quam doloris habere, universum mundum opplevise; adeo ut Vol-

taire, impius ille Gallus, finem ejus carminum uni Deum neganti (metu loquendum!) imposuit, diecndo "Après tout c'est un monde passable;" atque utpote opinio fit e sensu quem percipit unusquisque, sequitur plures beatos quam miseros esse.

Nunc nobis interdicit ratio, ut arbitraremur essentiam benevolentem naturam sentientem ita conficturam, ut ex oculis formatoris unquam abiret et indè amitteret persapientes ejus monstrationes quibus opus est omnibus. Et porrò cum animis recursat, Deo bene cognitas esse ultimam rerum structuram, et earum naturam interiorem quibus nituntur attributa varia vel leges per quas eveniunt omnia quæ accidunt, concludendum est, Deum omnes præsentire eventus, aut (si verba Homeri mutuari liceat,) "ἤδη τά τ' ἐόντα, τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα."

Inire conamen ratiocinando præscientiam divinam stabilire, supervacaneum est, quandoquidem limpida flumina scatentia ex fonte divinæ scientiæ exundârunt in orbem.

Omnibus, pro certo nunc habeo, hæc legentibus erit notissimum, præscientiam fortuitu nequaquam consistere, aut, (quantum nobis inter quod potest fieri et nequit fieri, dijudicandi facultas competit,) nihil, nisi omnes eventus præcedentibus trabali clavo sunt affixi, posse prænosci. Quapropter necesse est ut voluntatis actiones, siquidem Deo sunt prævidendæ, incitamentis liquido plumbo conglutinarentur. Hinc ritè inferendum, voluntatem non agere, sed agi; "sequimur, enim, (quemadmodum bonus et sapientissimus Cicero felicissimè dixit,) probabiliora; nec ultra quod verisimile occurrit progredi possumus."

Hæc doctrina quamplurimum quoque munitur docto et optimo Reid dicenti "power to produce any effect implies power not to produce it. We can conceive no way in which power may be determined to one of these rather

than the other, in a being that has no will." Hæc sententia, procul dubio, Doctoris mentem evaserat quum disseruit tam religiosè ut opinatus est, de libertate, utpote luculentær apparet, potentiam, ea conditione, nullo modo quidem opinabili, existere posse. Quia, si nulla absque voluntate potentia exerceatur, actui voluntatis, ut in actionem se daret, opus erit voluntate, et ei vicissim aliâ ad infinitum, omnino facultatis experti testudinis dorsi unquam tangendi; nam voluntas est potentia animo inhærens et hæc potentia interdum haud exercetur, ut in somno, et potentia non exercita non existit, ergo voluntas non semper existit, utque id quod non est, non potest agere, necesse est ut alia adventitia voluntas daret actionem nostræ propriæ voluntati antequam exerceamur potentiam; quod consectarium asciam communi hominum sensui impingeret. Ex quo conficitur voluntatas nullam in se habet potentiam.

Argumentum aliud momenti haud minimi hic se profert considerandum; nihil ferunt in nostra potentestate esse, nisi quod nititur voluntate; voluntas niti se ipso haud potest; ergo voluntas penes nos non est, se imperio nostro subducit, aut aliis verbis, haud possumus eam statuere.

Usque ad finem eundem spectant sequentia. In omnibus instinctus operationibus, confitendum est, necessariò agunt animalia, atque hæ planè denotant actuosæ nisum potentiæ in animali. Nulla (inquit Reid) quoquo modo, potest exerceri potentia, nisi dederit nisum voluntas; aliquis intellectus actui voluntatis singulo exigendus, propterea quod necesse est ut consilium in oculis haberemus, in quo absolvendo est exercenda conceptio, quam anteit semper, aut cui, omni casu, consociatur, judicium; et actionis quibus hoc inservit ritè vocantur rationales; ergo omnes animalium actus sunt rationales. Nunc quo-

niam nihil differentiæ, quod ad genus, inter actiones interest, et earum multis, ex confesso, necessaria est origo, conficiendum, omnes necessarias esse.

Hæc hypothesis, voluntati esse vires sui ipsius determinandi, in se habet contradictionem; quippè facta actione aliqua, assumendum est, res circumstantes ad occasionem dandam proprias esse, sed, utpote statuendi libertas significat, quòd, iisdem conditionibus, alia ortum habuisset actio dispar, cui etiam necesse est ut res convenirent circumstantes, et primis ergo dispares, asseveramus, continenti spiritu, easdem fuisse et non fuisse proprias conditiones.

Hæc etiam hypothesis aniles fert secum ineptias; admittit enim, duos eventus dissimiles ex pari conditione posse oriri, quod corruere facit præceptum in philosophiâ diù fundatum, scilicet, eandum causam eundem semper præstare effectum. Imó asserit id quod nequit ullo modo fieri, scillicet, ut sit effectus causa sine ulla; hoc datum irrisui esset omnibus Deum existere probantibus.

Jam credo, si ulterius progrediar, erit verendum, ne mihi vitio aliqui vertant, ut in animo esset lucem soli apponere. Quapropter argumenta alia perpauca huic parti imponent coronidem.

Nihil agere potest sine movendo, animæ agunt, ergo movent; movere est situm mutare, in quo absolvendo, situs est priùs tenendus; et situm habere, est spatium supplere, cui nihil nisi extensio solida competit; atque ex solida extensione constat corpus; ergo *anima est corpus.* Nunc nullus fieri potest actus sine mutatione, nulla fit mutatio sine motione, nulla motio sine impulsione, impulsio nulla nisi duo inter corpora; ergo *nulla unico corpori est unquam potestas agendi.* Jam percognitum est, quòd voluntas est facultas animæ ad agendum; atque anima

est corpus; et unum corpus non potest agere: ergo voluntas per se nullam habet potentiam* agendi.

Extremò, nihil evidentiæ possidemus animam afficere materiam. Haud nescius sum, permultos antumâsse quòd motus voluntarius competit probare; sed nequit. Quia, bene cognitum est, unam animi facultatem (quantum ad operationem spectat) haud raro augescere, alia imminuta; dum, g. v. vires acquirit judicium, ægratat conceptio, et imaginatio perit. Undè nihil inest jacturæ unius facultatis quod injuriam aliæ potest inferre; et nulla facultas afficitur ab ullo corporeo organo quam eo cui aptiús congruit, quippe, si res se aliter habuerunt, videremus aut olfaceremus minimo digito; ergo, injuria unius organi nequit rectá afficere ullam aliam nisi eam cui proximè subservit. Atqui est factum notissimum, quòd æger molli habitu, propter nervum alligatum, periit, ex quo liquet, injuriam unius organi, scilicet, tactus, aboluisse omnes animi facultates. Qui fit igitur? Injuria facultatis percipiendi orta mutilato corporeo organo suo consentaneo, non potest imminuere aliam; et affectus organi nequit rectá afficere alias animi facultates; ergo sunt affectæ per organa corporea; hinc inferendum, *omni mentis facultati esse corporeum organum consentaneum.*

Nunc nobis non licet reri, aliquid quod non implicat conscientiam, animo esse præsens. Et in ageustiâ, surditate, caligine, anæsthesia, atque anosmia, nequaquam sumus conscii actionum harum animi facultatum quæ sensibus quinque respondent; ex inde conficimur, eas revera non agere. Quòd si non agunt, suæ operationes statu cerebri nituntur, quippe nos latet ulla causa obstandi nisi cerebri

* Locke consueto ingenio, probavit incongruens esse voluntati potentiam ascribere; sed feci ut obedirem mori

"Quem penes arbitrium est et jus et norma loquendi" ut ait Quint.

status. Eaque est connectio, quòd necesse est ut effectus organi semper anteiret mentis operationem, etenim utcunque perspicax sit hominis sensus, si imago rei oblatæ non impingit retinæ, non sentit. Alii sensus legi obtemperant simili. Videtur igitur, quòd omnes quinque sensus priús exigunt variationem in corporeo organo quàm facultas animi congruens agat. Quinetiam sicut aliæ facultates (quantum nobis constat) quinque sensibus haud differunt in quod spectat ad cerebrum, tuto asserimus *actionem organi semper antecedere actionem mentis.* Ergo doctrina veteris scholæ est verum, nempe, "*nihil in intellectu est, quod non prius fuit in sensu.*" Jam omnes voluntarii actus in consilio habent aliquid ab animo absens, et quod abest fit præsens actione solúm organi corporei; exindé oritur, actum voluntatis esse variationem in mente succedentem congruenti variationi in aliqua parte cerebri. Age nunc est principium in philosophia semper observandum. causas rerum naturalium, non plures admitti debere, quam quæ et veræ sint, et earum phænominis explicandis sufficiant. Et jampridem probavimus, quod corporeus affectus singulo insérvit actui voluntatis, atque percognitum est, quód facto in aliqua parte assultu, fulguris celeritate. remotissimæ ad arma confugiunt: quapropter vera causa est cognita quæ ad explicanda phænomina sufficit. Ita, quum Adamus et Eva carpserant et comederant fructus sapientiæ. Eva, deducta "solutis Gratiis zonis," patuit ei nudi magicis illecebris decoris, et tantum egregio decus enituit ore, ut Adamus dixit ei

"Never did thy beauty since the day
I saw thee first and wedded thee, adorn'd
With all perfections, so inflame my sense
With ardour to enjoy thee; fairer now
Than ever, bounty of this virtuous tree."

Hoc casu, Eva coram eo stetit, et in sensu orta est variatio, respondensque ei alia in mente quæ vocatur perceptio, protinus succedit ei hic effectus,

> "he forebore not glance or toy
> Of amorous intent, well understood
> Of Eve, whose eye darted contagious fire.
> Her hand he seized and to a shady bank,
> Thick overhead with verdant roof embower'd,
> He led her nothing loath; flowers were the couch.
> Pansies and violets, and asphodel,
> And hyacinth, earth's freshest softest lap.
> There they of love and love's disport
> Took largely, till dewy sleep
> Oppress'd them, weary with their amorous play."

Atque pulcherrima et infelix Eliza miseri post fata Sichæi, pertæsum fuit thalami tædæque, et ne cui se vinclô voluit sociare jugali. At pius Æneas quasi Apollo invisit, inflexitque sensus, adeo ut confessa est

"agnosco veter-isvertigia flammæ." Gratus ignis absumpsit medullas, tacitumque vixit sub pectore vulnus. Paulo post,

> "Uritur infelix Dido, totaque vagatur
> Urbe furens. Qualis conjecta cerva sagitta,
> Quam procul incautam nemora inter Cressia fixit
> Pastor agens telis, liquitque volatile ferrum
> Nescius; illa fuga sylvas saltusque peragrat
> Dictæos; hæret lateri lethalis arundo."

Ergo regulis philosophiæ minimè convenit, ac revera absurdum est, dicere voluntatem esse *primum mobile* aut *sine qua non* voluntarii motus.

Quoniam nos latet ullum evidentiæ mentem afficere materiam, ac utpote nequaquam necesse est, negare id esse possibile philosophiâ sancieretur. Atqui ut aliquibus philosophis elusis, facili fide, vires sufficiam ad eluc-

tandum ignorantiæ pedicas et e servitu prejudicii atque erroris erumpendum, probabo, paucis verbis, nequit ullo modo fieri. Si possibile est ut anima afficiat materiam, faciendum est, hoc modo: vel, primò, anima sedens in glandulam pinealem (aut ubilibet,) arripit suoptè, quo libet circumstantium statu, quamvis rem; vel, secundò, anima certa nervi conditione comitante, ab eo prospicit, et, nihilo ad obstandum valente, percipit rem. Amaurosis manifestat haud faciendum primo modo; et oculi suffusio, haud secundo. At dicatur fortasse quòd necesse est ut res oblata ad nervum astaret, quo facto, percipitur animâ, nulla in nervo variatione facta. Hæc sententia convellitur, facto, animam dolens percepisse membrum, post quam deletum fuisset. Si anima res percipit per nervum, eo immutato, sentit id (hoc casu) quod non est, ideo haud sentiendum, quo nihil absurdius est.

Nemo huic modo metiendi quod potest fieri objiciat, nam idem invaluit ex orbe condito. Quid fertur, haud possibile esse, ut porcus Indicus volaret? Non quòd demonstratur æquè perspicuè ac tres angulos uniuscujusque trianguli uni angulo recto exæquare, sed quia deficit alis. Quid fertur, haud possibile esse, ut anima afficeret materiam? Quia deficit modis.

Ergo, ut omnes motus oriuntur ex operatione legum materiæ inhærentium, *sunt necessarii.*

Nunc temporis mihi libet desistere in re non dubia uti testibus non necessariis.

Doctrina, quod voluntas se habet suis viribus offirmatam est prorsùs opinabilis, nulla argumenta in ejus testimonium prolatæ fuerunt; quodlibet bonus Reid dixit redit solùm ad contorta et aculeata sophismata; et tentamen Gregorii docti est merum mathematicum somnum.

Ex iis quæ dicta fuerunt, jam credo, Ciceroni facile assentietur, haud temere profitenti "Fieri omnia a Fato, ratio cogit fateri."

Jam digrediendum dilapidatum delubrum Unitati morbi consecratum, in cujus altaria tam multi *pharisaici* philosophi cremârunt thurea dona et dapes, fuderuntque cratéres olivi. Docti sumus erudito artis incidendi professori, nihil esse morbum quod naturale est, probavimus omnia esse naturalia; ergo nullus est morbus—minime, haud *Unus*.

PARS TERTIA.

COMMENDATIO.

Τί ἔτι μέμφεται; τῷ γὰρ βουλήματι αὐτοῦ τίς ἀνθέστηκε;
Μενοῦνγε, ὦ ἄνθρωπε, σὺ τίς εἶ ὁ ἀνταποκρινόμενος τῷ Θεῷ;
Μὴ ἐρεῖ τὸ πλάσμα τῷ πλάσαντι· Τί με ἐποίησας οὕτως;
Ἢ οὐκ ἔχει ἐξουσίαν ὁ κεραμεὺς τοῦ πηλοῦ, ἐκ τοῦ αὐτοῦ φυράματος
ποιῆσαι, ὃ μὲν εἰς τιμὴν σκεῦος, ὃ δὲ εἰς ἀτιμίαν;.....ΠΑΥΛ.

QUISNAM, viri morales, Caicus e oopiis vestris, hoc prospecto, conclamat?

> "Quis globus, o cives, caligine volvitur atra?
> Ferte citi ferrum, date tela, scandite muros,
> Hostis adest, eja!"

Solvite metum corde, amici, et se exolvite curis; nullus est, enim, infensans Rutulus muros vertros et castra probè munita oppugnaturus. Sed est spiritus Calvani studiosi orbis Christi defensoris, succlamans "Non enim pari conditione creantur omnes; sed aliis vita æterna, aliis damnatio æterna præordinatur. Itaque, prout in alterutrum finem quisque conditus est, ita vel ad vitam, vel ad mortem prædestinatum dicimus."

Neque iræ ignèscunt, nec ardet dolor duris in ossibus, sed mihi perplacet latè fines vestros custodè tueri; atque mirum est mihi votum tuis aspirare fortunis. Vestram ad salutem incumbens exopto facere voluntatem leges

incitamentorum, sine pacto, agnoscere, ex iis enim moralis componitur reipublicæ constitutio, quâ obtrita, totum imperium est diruiturum.

Actum fieri bonum aut malum, id est, moralem, secundum ex quo oritur incitamentum, est verum a principe philosophorum dicente "hoc ipsum ita justum est quod rectè fit, si voluntarium," manifestatum, divinâque comdrobatum evidentia, et universé cognitum. Ex his conficiendum, quòd si voluntas non incitamentis succumbit, quò minús ejus statuta, quovis in modo, qui ad honestatem vel turpitudinem spectat, consideranda; et ergo res moralis mera est chimæra.

Porrò, si voluntati ad libitum incitamenta sint subterfugienda, moralis flocci valeret omnis disciplina; omnibus enim malis radicitùs evulsis propensionibus, et libera affectionum piarum, et incitamentorum virtuosorum auctoritate funditús in pectore stabilita, se ipsam determinans voluntas, quâ niti morum ratio dicitur, ejusdem ut antea naturæ est compos. Ejus statuta auctoritatem incitamentorum existentium aversantur. Omnem intellectus sententiam, et vehementissimas præcordiorum perturbationes prorsùs ludificatur. Statu animi mutato nullus exoritur effectus in dominatione ejus exlegi. Propendet ad vitium aut virtutem prout sibi libeat. Rerum fastigii potitur, et ejus determinationes sunt arbitrariæ, et antequam determinato imperio cuidam fuerint subjectæ, erint omninō fortuitæ.

An igitur nobismet ipsis, superbia nostrâ, arrogabimus libertatem in statuendo, atque eô indè alma præcepta et oblectantia Christi proculcabimus? Propositum execrabile! Proscribamus merum cogitatum.

Prætermittam, hoc loco, impietatem quam opinio voluntati potentiam ascribens in se continet; quippè me habeo probè persuasum, oculos aversaremini fastidio ac indig-

natione, si memorarem quòd ea significat Deum, horribile dictu! insanire. Baculum commodat, diminuere caput. Quum enim cognoscimus Deum perpetuó moliri ad nos in semitam rectam ducendos, et, eodem tempore, certiores sumus facti, faci, quâ suppeditatur, nihil lucis inesse prælucere ancipitibus gradibus nostris ad semitam, aut aliis verbis, ejus omnia nihili esse conamina, nonne revocamus in mentem

"Danai genus
Infame, damnatusque longi
Sisyphus Æolides laboris;" nonne audimus
"notas
Virginum pænas, et innane lymphæ
Dolium fundo periuntis imo;" nonne videmus Sisyphum
"nixantem trudere monte
Saxum quod tamen a summo jam vertice rursum
Volvitur?

Potiùs igitur dicamus, Fatum aliena manu voluntatem tenere; quod nos reddet immunes contradictionibus, et ineptiis, et denique quod pluris est, sacrilegiis.

Negando voluntatem se suis viribus habere statutam nihil ampliùs nobis objici potest, quàm reddere Deo quod est Dei, hoc est, omnem potentiam. Sed mihi videtur, nos non propter id vituperationem subeundos, in quantùm eo ex concesso, oritur humilitas virtutum splendidissima; etenim nobis bene constat, quòd arbitrio omnipotenti solum nitetur, necne nos oportebit prout Vulcanus, dicere

"Ρίψε, ποδὸς τεταγὼν ἀπὸ βηλοῦ θεσπεσίοιο·
Πᾶν δ' ἦμαρ φερόμην, ἅμα δ' ἠελίῳ καταδύντι
Κάππεσον ἐν Λήμνῳ· ὀλίγος δ' ἔτι θυμὸς ἐνῆεν·
"Ενθα με Σίντιες ἄνδρες ἄφαρ κομίσαντο πεσόντα."

Necessitatis doctrina nos Deo penitus obstringit, et in eum pietati facit assuetos, docendo ante oculos omnibus locis versari, et eum esse qui (si verbis poetæ liceat uti,)

> "Warms in the sun, refreshes in the breeze,
> Glows in the stars, and blossoms in the trees,
> Lives through all life, extends through all extent,
> Spreads undivided, operates unspent,
> Breathes in our soul, informs our mortal part,
> As full as perfect, in a hair as heart.

Utpote hinc nos credere docemur, Deum nusquam non esse præsentem, omnibus locis et temporibus occurrit; adeo ut ei facti sumus (si liceat mihi sic dicere) similes, toti absorpti in contemplando attributa ejus gloriosissima. Insuper, sana hujus doctrinæ fides haud parùm nobis suppeditabit, maximi momenti præcepta, ex gratia videndi "bonum redde pro malo" et "vicinos eo, quo teipsum, amore habeto" explere; propterea quod, illis, quævis commodo nostro obstare videntur, haud, ullo modo, adscribenda.

Denique, docebit nos turgida, vento nimium secundo, contrahere vela, et alteram sortem bene præparatam sperare, infestis; ex quò quam gravæ urgent ærumnæ æquiori animo feruntur, et dicimus similiter ac beatus et inimitabilis Christus, "τὸ ποτήριον ὃ δέδωκέ μοι ὁ πατηρ, οὐ μὴ πίω αὐτό?"

> "Ut pictura erit; quæ, si propiùs stes,
> Te capiet magis et————————
> ————————decies repetita placebit."
>
> *Horat. ars. poet.*

Book taken apart, leaves deacidified with magnesium bicarbonate. All leaves supported with lens tissue. Leaves mended. Resewed with new all-rag end paper signatures & unbleached linen hinges. Rebound in quarter unbleached linen with Fabriano paper sides. June 1977.

Carolyn Horton & Associates
430 West 22 Street
New York, N.Y. 10011